

filios suos ex prava consuetudine aliis ad nutriendum tradunt, nisi purgationis tempus prius transierit, viris suis non debent admisceri: » et ex responsione *Nicolai I, ad consulta Bulgarorum*, cap. 68, ibi: « Quot diebus viro, postquam mulier filium genuerit, ab ea sit abstinendum non ad inventionibus nostris, sed verbis beatæ memoriæ Gregorii Romani pontificis, ad Anglorum gentis Apostolum declaratur, qui Augustino episcopo, quem in Saxoniam ipse direxerat, scribens, inter cætera dixit: « Ad ejus vero (*id est mulieris*) concubitum vir suus accedere non debet, etc. »

(38. Debitum petere et reddere eo tempore quo mulier est menstruata, id est menstruo fluxui statutis temporibus subjacet, in Lege veteri cap. xx *Levitici* sub pœna capitali prohibebatur, ibi: « Qui coierit in fluxu menstruo, interficiantur ambo de medio populi sui: » Et licet quod hoc præceptum, tanquam cæremionale, quoad pœnam cessaverit cum ipsa lege, tamen quia non solum erat indictum ad evitandam immunditiam legalem, sed etiam ne ex tali coitu proles nasceretur imperfecta, et quoad hunc respectum erat præceptum morale, etiam nunc est servandum, ut expresse docet S. Thom. in 4, dist. 32, q. unic., art. 2, q. 2, in corpor., ibi: « Accedere ad menstruatam in lege prohibitum erat duplici ratione, tum propter immunditiam, tum propter nocumentum, quod in prole ex hujusmodi commixtione frequenter sequebatur; et quoad primum, præceptum erat cæremionale, sed quantum ad secundum erat morale, quia, cum matrimonium sit ad bonum prolis principaliter ordinatum, inordinatus est omnis matrimonii usus, quo bonum prolis impeditur. Et ideo hoc præceptum obligat etiam in nova lege propter secundam rationem, etsi non propter primam. » (39. Et hujus sententiæ fuerunt etiam S. Augustinus lib. iii *De peccat. merit. et remiss.*, cap. 12, n. 22; S. Hieronymus, lib. vi in *Ezechiel.*, cap. 18, et S. Gregorius relatus in cit. cap. *Ad ejus* 4, dist. 5, et alii. Sed quia tales SS. Patres non explicant sub quali peccato obliget nunc tale præceptum, et S. Thomas *loc. cit.* subjungit quod talis « fluxus non durat nisi ad modicum tempus; unde prohibitum est ad talem accedere, similiter prohibitum est mulieri in tali fluxu debitum petere, » dicendum est quod debitum petere pro tali tempore sit ad minus peccatum grave veniale, ut vult communior doctorum; eo vel maxime, quod multi magni nominis Doctores sustinent esse peccatum mortale.

(40. Debitum conjugale licite petitur, et redditur etiam non servato debito concumbendi modo, aut situ, dummodo fiat propter aliquam justam et rationalem causam, v. gr. propter periculum suffocationis fetus, vel ægriitudinem, vel aliam indispositionem corporis, puta nimiam pinguedinis, et hujusmodi, et servetur vas naturale absque periculo extramissionis seminis, seu fraudationis generationis. Est communis. (41. Non est tamen licitum, saltem sub veniali,

petere et reddere debitum non servato debito concumbendi modo, aut situ sine ulla rationabili causa, et solum majoris voluptatis gratia, ut colligitur ex cap. *Nervi* 2, dist. 13, cap. *Deinde* 3, dist. 26, cap. *Origo* 5, cap. *In eo* 12, et cap. *Liberorum* 14, caus. 32, quæst. 4, et cap. *Vir* 7, caus. 33, quæst. 4. Unde merito fuit ab Innocentio XI die 2 Martii 1679 damnata inter alias sequens propositio, nona in ordine, ibi: « Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum omnino penitus caret culpa ac defectu veniali. » (42. Ita Rosignolus tract. 15 *De matrimonio*, prænot. 7, sect. 3, n. 4, cum communis aliorum, saltem quoad petere; quamvis sit contra varios quoad reddere, volentes quod, quando conjux petens debitum peccat solum venialiter, vel ob circumstantiam se tenentem ex parte solius petentis, vel ob circumstantiam se tenentem ex parte ipsius actus, alter reddens nullo modo peccet, nec eximatur ab onere reddendi, ut docet Sanchez, *De matrim.*, lib. ix, disput. 6, n. 6, cum variis aliis.

(43. Conjuges, qui mala fide, seu dubii de valore matrimonii contraxerunt, non possunt, stante illo dubio, nec petere nec reddere debitum, quia non est possessio pro matrimonio, sed pro sexto Decalogi præcepto copulam inter eos prohibente, nec alterutri favet possessio juris pro petendo debito, cum possessio juris inchoari non possit cum mala fide. Ita communis. (44. Si vero unus tantum conjux mala fide, seu dubius de valore matrimonii contraxit, non potest ille, stante tali dubio, petere debitum, tenetur tamen illud reddere alteri, qui bona fide contraxit, quia hic, qui bona fide contraxit, stante dubio, non est privandus suo jure, cum sit in possessione juris conjugii, ac, stante dubio, melior sit conditio possidentis; habetur expresse cap. *Dominus* 2, De secundis nuptiis. (45. Si matrimonio bona fide contracto superveniat dubium de valore, poterit talis dubitans post debitam diligentiam et inquisitionem factam, ex qua veritas nondum comperta est, non solum reddere, sed etiam petere debitum; nam dubium superveniens bonæ fidei possessori obesse non debet. Ita ex communiori Sanchez, lib. ii, disp. 41, quæst. 4, n. 45, et lib. i *Moral.*, cap. 10, n. 9; Barbosa in lib. v *Decretal.*, cap. *Inquisitioni*, n. 5, De sentent. excommunic.; Pirrhing, lib. v *Decretal.*, tit. 39, n. 108; Layman., *Theolog. moral.*, lib. i, tract. i, cap. 5, n. 24; Henricus, disp. 7, *De matrim.*, q. 6, n. 32; Reiffenstuel, *Theolog. moral.*, tract. 14, disp. 13, n. 83; Diana, par. iv, tract. 13, resolut. 15; Terill., *De conscient.*, quæst. 23, n. 66; Dicastill., *De restit.*, d. 5, a. n. 221; Reginal., in *Praxi fori penitent.*, lib. xxxi, n. 100; Ægid., *De sacram. et censur.*, disput. 34, dub. 10, n. 105; Socin., in 4 *De just.*, quæst. 5, art. ult.; Valentia, to. IV, disp. 10, qu. 6, punct. 2; Lugo, *De justit.*, disp. 17, n. 88; Cardenas, in 2 crisi, d. 19, n. 107; La Croix, lib. vi, part. iii, *De matrim.*, n. 302, et apud ipsam ibidem dictus

Scotus, Vera Crux, Viet. Lopez, Suarez, Coninch. Bonacina, Lessius, Bress. Boss. Bardi, et alii contra multos alios ab ipso citatos.

(46. Et veritas nostræ assertionis colligitur ex S. Augustini verbis relatis in cap. *Si virgo* 5, caus. 34, quæst. 1 et 2, ubi sic expresse habetur: « Si virgo nupserit nesciens viro alieno, hoc si semper nesciat, nunquam ex hoc adultera erit; si autem sciat, jam ex hoc adultera esse incipit, ex quo cum alieno sciens cubaverit, sicut in jure prædiorum tandiu quisque bonæ fidei possessor rectissime dicitur, quandiu se possidere ignorat alienum; cum vero sciverit, nec ab aliena possessione recesserit, tunc malæ fidei possessor perhibetur. » Et ex cap. *Laudabilem* 2, Ut lite pendente ubi sic præcise a Clemente III fuit responsum: « Respondemus quod conjugum alteruter accusatus (*De matrimonii defectu*) ante probatam accusationem jure, quod habet in altero, privari non possit. » Et ex cap. *Dominus* 2, De secundis nuptiis, ubi Lucius tertius supponit, si secundo matrimonio bona fide contracto superveniat dubium de morte prioris conjugis, posse eum, qui bona fide contraxit, petere debitum, et alterum, etiamsi mala fide contraxerit, posse reddere, ibi: « Super matrimoniiis, quæ quidam ex vobis, nondum habita obeuntis conjugis certitudine, contraxerunt, id vobis respondemus ut nullus amodo ad secundas nuptias migrare præsumat, donec ei constet quod ab hac vita migraverit conjux ejus; si vero aliquis, vel aliqua id hactenus non servavit, et de morte prioris conjugis adhuc sibi existimat dubitandum; ei, quæ sibi nupsit, debitum non denegat postulanti, quod a se tamen noverit nullatenus exigendum. Quod si post hoc de prioris conjugis vita constiterit, relictis adulterinis complexibus, ad priorem conjugem revertatur. » Et ratio nostræ assertionis est, quia talis sic dubitans, præmissa debita diligentia et inquisitione, habet ignorantiam invincibilem de invaliditate matrimonii, ergo manet possessio pro validitate matrimonii bona fide contracti, juxta cit. cap. *Si virgo* 5, caus. 34, quæst. 1 et 2, ibi: « Bonæ fidei possessor rectissime dicitur, quandiu se possidere ignorat alienum; » adeoque manet in jure petendi debitum, cum melior sit conditio possidentis, et dubium superveniens bonæ fidei possessori obesse non debeat. (47. Et hoc ipsum a fortiori est dicendum, si dubium superveniens, oriatur solum ex levi ac temeraria credulitate, nam potest tale dubium ad consilium proprii pastoris, seu parochi deponi, ac debitum conjugale non solum licite reddi, sed etiam peti, textu expresso in cap. *Inquisitioni* 44, De sentent. excommun., ibi: « Et quidem ad sui pastoris consilium (conscientia levis, et temeraria credulitatis explosa) licite potest non solum reddere, sed exigere debitum conjugale. »

(48. Nec valet objicere contra nostram principalem assertionem, id quod Innocentius tertius prosequitur immediate dicere in d. cap. *Inquisitioni*, ibi: « Verum cum con-

scientia pulsat animum ex credulitate probabili, et discreta, quamvis non evidenti et manifesta, debitum quidem reddere potest, sed postulare non debet, ne in alterutro; vel contra legem conjugii, vel contra iudicium committat offensam. » (49. Non valet, inquam, quia, ut optime respondet Cardin. De Lugo, tom. I, disp. 17, n. 88, vel Pontifex in d. c. *Inquisitioni* loquitur solum de conjuge, qui nondum adhibuit debitam, et sufficientem diligentiam pro cognoscenda veritate, ut volunt multi, quos sequitur Sanchez lib. ii *De matrim.*, disp. 41, quæst. 4, n. 53. Vel etiam dato quod universaliter loquatur, dicere possumus ex illo magis confirmari nostram conclusionem; nam alter conjux, qui erat possessor bonæ fidei, dicitur posse petere, et reddere; alter autem, dum habet dubium, non permittitur petere, quia nimirum in casu illius textus conjux non habebat dubium mere negativum, sed potius credulitatem, et opinionem positivam, de impedimento matrimonii, ut constat ex verbis illius capituli; stante autem illa opinione de impedimento, et non stante opinione etiam probabili de negatione impedimenti, non poterat conjux petere, quia nullum habebat indicium saltem probabile de valore illius matrimonii; unde apparet quod Innocentius III in d. cap. *Inquisitioni*, ideo sic respondit, quia ille, de quo erat casus, ab initio mala fide contraxerat matrimonium, quia videlicet positive dubitabat de ejus valore, ut proinde sit casus similis illi, qui refertur in cit. cap. *Dominus* 2, De secundis nuptiis; ubi Lucius tertius, ut apparet ex suis verbis adductis supra sub n. 43, respondet dubitantem de valore matrimonii, quod contraxerat, nondum habita certitudine conjugis prioris præmortuæ, debitum interim a conjuge sua exigere non posse. (50. Hinc non facit objectio talis textus pro nostro casu, qui est de dubio superveniente matrimonio jam bona fide contracto, adeoque licet sic dubitans petendo debitum post adhibitam debitam diligentiam se exponat periculo fornicationis materialis, non se exponit tamen periculo fornicationis formalis, cum ignorantia invincibilis in bonæ fidei possessore a peccato formali excuset. Nam Innocentii definitio locum habet quoties *conscientia pulsat animum ex credulitate probabili*. Hinc de valore matrimonii bona fide contracti dubitans, nisi post debitam diligentiam, et inquisitionem factam dubium deposuerit, a petendo absteineat.

(51. Si conjux pro certo cognoscat invaliditatem matrimonii, eo quod indubitanter sciat subesse impedimentum dirimens, quamvis hoc in facie Ecclesiæ probare nequeat, non solum non potest petere, sed nec reddere debitum, non obstante quod per sententiam judicalem Ecclesiæ (quæ de occultis non judicat), vel etiam per excommunicationem ad id compellatur, aut ab altero conjuge, absque gravi scandalo, aut etiam absque manifesto vitæ periculo discedere nequeat. Est communis: et ratio est, quia in nullo casu potest quis scienter for-

nicari, seu alteri carnaliter commisceri extra legitimum matrimonium; hoc enim est intrinsece malum; unde talis potius in foro externo debet humiliter sententiam excommunicationis sustinere, ut expresse statuitur in cap. *Litteras* 13, De restitut. spoliati., ibi: « Cum mulier, quæ consanguinitatis habet notitiam, præsertim in gradibus, quos lex divina (*Levitici* c. xviii) prohibuit, non possit hujusmodi viro sine peccato mortali carnaliter commisceri; quoniam omne, quod non est ex fide, peccatum est, et quidquid fit contra conscientiam, ædificat ad gehennam: frustra in tali casu adjudicaretur restitutio spoliato, cum illa contra Deum non debeat in hoc iudicio obedire, sed potius excommunicationem humiliter sustinere. » Idem declarat ipsemet Innocentius III in cap. *Inquisitioni* 44, De sentent. excommuni., ibi: « Credimus distinguendum utrum alter conjugum pro certo sciat impedimentum conjugii, propter quod sine peccato mortali non valet carnaliter commercium exercere, quamvis illud apud Ecclesiam probare non possit, an non sciat pro certo, sed credat. In primo casu debet potius excommunicationis sententiam humiliter sustinere, quam per carnale commercium peccatum operari mortale. » Talis enim conjux, ex simili excommunicatione contra se lata, non ligatur apud Deum, cum irrita et invalida sit excommunicatio, quæ peccato mortali non nititur, ut ait concilium Meldense in cap. *Nemo* 41, caus. 11, quæst. 3, nec proinde verè censuræ effectum producere valeat, ut constat de mente Gelasii I relat. in cap. *Cui est* 46, dict. caus. 11, quæst. 3, et de mente S. Hieronymi relat. in cap. *Quomodo* 44, ead. caus. et quæst., et de mente S. Augustini in cap. *Capisti* 48, in cap. *Quid obest*, 50, et in cap. *Etsi* 13, ead. caus. et quæst. Et expresse Glossa in cap. *Si quis* 70, caus. 1, qu. 1, ibi: « Quid ergo si episcopus excommunicet? patienter ferat, nec curet, cum non ligetur apud Deum. » (52. Quod autem nequeat conjux ab alio discedere absque gravi scandalo, aut etiam absque manifesto vitæ periculo, nihil refert, nam ut expresse dicitur in reg. 3 *Juris*: « Utilius scandalum nasci permittitur, quam veritas relinquatur. » Et occisus ex hac causa meretur pro servanda virtute supernaturali castitatis, et sic evaderet martyr, nam non solum qui propter confessionem fidei, sed etiam qui pro defensione aliarum virtutum supernaturalium moriuntur, martyrii palmam consequuntur. Generaliter enim loquendo omnia virtutum opera, quatenus referuntur in Deum, sunt quædam fidei protestationes, quia, dum quis potius vult mori quam Deum peccato quopiam offendere, ipso facto protestatur Deum esse summum bonum, ac omnibus aliis bonis creatis præferendum; quod est articulus fidei Christianæ; unde sanctus Augustinus serm. 250 *De tempore*, etc., sic expresse dicit: « Christianis quotidiana martyria deesse non possunt; sicut enim castitas, et veritas, et justitia, Christus est, sic et ille, qui eis insidiatur, persecutor est; qui et in

aliis defendere, et in se custodire voluerit, martyr erit. »

(53. Conjux, qui, durante matrimonio, contraxit affinitatem cum sua consorte, cognoscendo videlicet carnaliter ejus consanguineam in primo vel secundo gradu, non potest petere debitum; cap. *Qui dormierit* 30, caus. 27, qu. 2, cap. *Si quis* 1, *De eo, qui cognovit*, etc. (54. Licite tamen potest reddere, imo tenetur, textu expresso in c. *Discretionem* 5, *De eo qui cognovit*, etc., ibi: « Nec affinitas, quæ post contractum legitime matrimonium inter virum et uxorem inique contrahitur, ei debet officere, quæ hujusmodi iniquitatis particeps non existit, cum suo jure non debeat sine sua culpa privari, » et c. *Tuæ fraternitatis*, 10, eod. tit., ibi: « Vir ejus poterit, et debebit cum Dei timore debitum ei solvere conjugale, cum affinitas post matrimonium inique contracta illi nocere non debeat, quæ iniquitatis particeps non existit. » (55. Notanter autem fuit dictum *consanguineam in primo et secundo gradu*, quia, si esset consanguinea solum in tertio, aut quarto gradu, non incurreret penam non petendi debitum, prout, teste Farinaccio in declar. super sess. xxiv *Conc. Trid.*, c. 4, *De reformat. matrim.*, declaravit Gregorius XIII his verbis: « Sanctissimus dominus noster Gregorius XIII ex sententia cong. dixit, per hoc decretum sublatum censi impedimentum quoque supervenientis affinitatis post contractum matrimonium, quia, si impedimentum dirimens sublatum est, quod majus est, ergo et illud quod impedit, ne is, per quem contracta est affinitas, sine peccato possit exigere debitum, quod minus est. »

(56. Conjux voto simplicis castitatis adstrictus licite non potest petere debitum, tenetur tamen reddere; cap. *Quidam* 3, cap. *Charissimus* 12, *De conversion. conjug.*, cap. *Sunt qui* 19, caus. 27, qu. 2, cap. *Si dicat* 1, c. *Notificasti* 2, cap. *Una sola* 6, et c. *Noluit* 16, caus. 33, qu. 5. Et ratio est quia votum castitatis includit obligationem præcepti negativi, cum vovens se obstringat ad se abstinendum ab omni actu venereo; adeoque votum castitatis ab uno conjugum factum obligat semper, et pro semper quoad ea, quæ cum matrimonio sunt compatibilia; compatibile autem est non petere debitum, licet non reddere non sit compatibile. Nec valet dicere quod hoc esset nimis difficile conjugum voventi, et nimis onerosum alteri conjugum non voventi, maxime si conjux non vovens sit mulier, quæ verecundabitur petere. Non valet, inquam, quia, si conjugum voventi sit difficile, sibi imputet, et petat dispensationem, et onerosum alteri conjugum non voventis tollitur, ex quo conjux vovens possit reddere, non solum quando alter petit expresse, sed etiam quando ex signis, quæ inter conjuges sunt nota, advertit alterum conjugem optare, ut patet ex dictis supra n. 6, 7 et 8.

Quoad ea quæ concernunt dispensationem super impedimento petendi debitum conjugale.

SUMMARIUM.

1. Dispensatio ad hoc ut sit valida, debet dari ex legitima et justa causa. — 2. Possunt episcopi ad petendum debitum dispensare cum conjugum, qui ante matrimonium emisit votum perpetuæ castitatis, eoque ligatus nupsit. — 3. Idem possunt cum conjugum, qui post matrimonium, sive consummatum, sive non, prædictum emisit votum vel cum, vel sine consensu alterius conjugis, dummodo non fuerit emissum ab utroque cum reciproca et expressa renuntiatione jûris, ad n. 6. — 7. Excipiuntur casus urgentis necessitatis, in quibus episcopi dispensare possunt etiam in votis Summo Pontifici reservatis, et consequenter, super ipsorum impedimento reddendi debitum: et qui sint urgentis necessitatis casus innumeri, ad n. 8. — 9. Insuper possunt episcopi dispensare ad petendum debitum cum impeditis ratione contractæ affinitatis, et cognationis spiritualis cum sua conjugum. — 10. Eadem potestas dispensandi super impedimento petendi debitum conjugale competit etiam capitulis, eorumque vicariis capitularibus sede episcopali vacante, et vicario generali episcopi, maxime si specialem ab illo facultatem habeat, ad n. 11. — 12. Regulares mendicantes, alique omnes cum ipsis communicantes possunt dispensare ad petendum debitum, tam super impedimento proveniente ex voto simplici castitatis perpetuæ, ante, vel post matrimonium contractum inito, quam super impedimento proveniente ex affinitate contracta ratione copulæ habitæ cum consanguinea, vel consanguinea, etiam in primo gradu alterius conjugis, ad n. 18. — 19. Confessarii regulares possunt valide et licite dispensare super impedimento petendi debitum in primo, ex nuper expressis casibus, licet non sint ad hoc specialiter deputati a suis superioribus majoribus, at in secundo probabiliter est non posse, nisi ad id specialem præfatorum commissionem habeant; non desunt tamen magni nominis doctores pro affirmativa, ad n. 22.

(1. Præmisso quod dispensatio, ad hoc, ut sit valida, debet dari ex legitima et justa causa, alias per doctores communiter esset irrita et invalida, et facta ex abusu potestatis concessæ, ex Apostolo *I Ad Corinth.*, c. xiii, v. 10: *In ædificationem, et non in destructionem.* (2. Possunt episcopi ad petendum debitum dispensare cum conjugum, qui ante matrimonium emisit votum perpetuæ castitatis, eoque ligatus nupsit. S. Antoninus, iii par., tit. 1, c. 22, § 2; Joann. Andreas, in cap. *Rursus qui clerici, vel voventes*, n. 6, et ibi Ancharan., n. 2; Præpositus, n. 6; Angelus, verb. *Matrimonium* 3, impediment. 5, n. 3; Ugolinus, *De matrim.*, cap. 20, n. 10; Brunellus, *De sponsalibus concl.*, n. 4; Valentia, iv part. 10, qu. 5; Scotus, in 4, dist. 37, qu. unica, art. 1; Reiffenstuel, lib. iv *Decretal. in Appendice de dispensatione super impedimentis*, n. 564; Rosignolus, *De matrim.*, disp. 12, quæst. 4, cum pluribus aliis contra Silvestrum verb. *Dispensatio*, qu. 9, n. 15; Gutierrez, *Canon. qq.* lib. 1, c. 23, n. 17, et varios alios. Et ratio est quia, licet episcopi hoc non possint de jure ordinario, prout notat Azor, tom. 1, lib. xi, c. 19, qu. 8; Toletus, lib. iv,

c. 18, n. 1, dist. 2; Graffius, in dec., par. 1, lib. 1, c. 13, n. 80; Diana, part. 1, tract. 11, resolut. 66, et alii, possunt tamen vigore consuetudinis et communis praxis, secundum quam omnes episcopi, scientibus pontificibus et non reclamantibus, quoad hoc jus petendi dispensant, consuetudo autem præscripta dat jurisdictionem per textum clarum in cap. *Cum contingat* 13, *De foro competenti*, et quidem juxta rectam rationem inducta est quoad originem et continuationem hæc consuetudo et praxis, quandoquidem possunt conjuges periculo incontinentiæ subesse, etc.

(3. Possunt etiam episcopi ad petendum debitum dispensare cum conjugum qui post contractum matrimonium, sive illud fuerit consummatum, sive non, emisit votum perpetuæ castitatis, sive cum vel sine consensu alterius conjugis, sive ab illo solo, sive etiam ab altero conjugum seorsim, dummodo non fuerit emissum ab utroque conjugum cum reciproca conventionione et expressa renuntiatione reciproci juris; Sanchez, lib. viii *De matrim.*, disp. 11, a num. 4 ad octavum; Aragonius, 2-2, quæst. 88, art. 8; Joannes Angelus Bossius, *De triplic. jub. privileg.*, sect. 2, cas. 20, num. 13; Basilius Pontius, lib. viii *De matrim.*, cap. 9, num. 2; Bartholomæus a S. Fausto, lib. iii *Thesaur. religios.*, quæst. 79; Rosignol., *loco citato*, n. 23; Reiffenstuel, *loco cit.*, num. 559; Sporer, tom. 1, tract. 3, in 2 *præcept. Decalog.*, c. 3, num. 76, et alii plurimi. Et ratio est quia votum post contractum matrimonium emissum ab uno conjugum, sive cum vel sine consensu alterius conjugis, sive ab illo solo, sive etiam ab altero conjugum seorsim, quoties non est emissum cum reciproca conventionione et expressa renuntiatione reciproci juris, licet videatur elici absolute et perfecte, non potest tamen vere dici votum perfecte absolutum, et integræ castitatis, quia unus conjugum, sine expressa renuntiatione sui juris facta ab altero conjugum, non potuit vovere absolutam et integram castitatem in præjudicium alterius conjugis, cui reddere debitum ex justitia obligatur; vovit ergo solum castitatem partialem, et secundum quid, scilicet non petere debitum, quale votum secundum omnes non est reservatum Sum. Pontifici, adeoque dispensabile ab episcopis; unde si episcopi dispensando tollere possunt, et actu tollunt votum, quod est unica causa et radix impedimenti, utique etiam tollere possunt, et dispensando tollunt ipsum impedimentum, eo quod, cessante causa, cesset effectus; c. *Cum cessante* 60, *De appellat.*

(4. Notanter autem fuit dictum, dummodo non fuerit emissum ab utroque conjugum cum reciproca conventionione, et expressa renuntiatione reciproci juris, quia, vi hujus mutui contractus et reciprocæ conventionionis, a petendo et reddendo abstinendi licite et valide, absolute et integre vovent; et sic cum in tali casu utraque pars, vi conventionionis sit liberata etiam ab obligatione reddendi debitum, consequenter votum libere obser-